

Salsola est *Anabasis tamariscifolia* mea.

*Sinapios* species desideratae dudum periere in horto, ob negligentiam Hortulani.

*Agaricus campanulatus*. sic videtur, sed natus in ligno putrido. Nil fungis magis variat. Optarem ut desisteres a fungis, usque dum totus in iis versari contingeret.

(Sine die. Adscripsit Jacquinius: R. 6. Martii 1773.)

---

67.

*Cardamine petraea* non est, sed *distincta species*, quam habeo in Horto, et nominavi nuper in alio scripto quod nunc sudat, synonyma non novi.

*Biscutella laevigata* Mantiss. omnino est.

*Sisymbrium altissimum* non est, sed *Sisymbrium Irio*.

*Scandix infesta*, sic omnino videtur. Hujus figura habetur in Actis petropolitanis ultimis.

*Orobus* 39. similis *angustifolio*, diversus tamen floribus albis nec luteis, foliis magis petiolatis, et destitutus racemi filo terminali. Vide Gmel. Sibir. 4. p. 14. t. 5. an flores ejus albi. Liber ad manus non est. Vide Ger. prov. 493. an diversus. Liber etiam in urbe, ego ruri.

*Seseli annuum* omnino est meum, sed tuum videtur lectum in Horto.

Laboravi dolore ischiadico, qui nunc incipit evanescere.

C. Linné.

(Dies adscriptus non est, tempus datae epistolae colligitur e Jacquinii notula: R. 4. April. 1773.)

---